68
13 C
68

[illegible]RATIO

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ORATIO VIN. TERMINII FIRMANI PVBLICI ALMAE VRBIS GYMNASII RHETORIS DE SCIENTIARVM LAVDIBVS HABITA.

79

AD PAVLVM IIII. PONT. MAX.

ET LIBELLVS DE ROMANORVM Magiſtratuum antiquis nominibus, ac de ijs quibus noſtro vtimur tempore.





Nicolaus Moricus.

Fudit opes Dominę Firmana colonia Romę
Docta quòd ingeniis Terminium addiderit.

PAVLO IIII. PONT. MAX.
VINCENTIVS TERMINIVS
FIRMANVS.
S. D.

DEvs, qui hominum ſaluti: Sanctiſsime Pater: voluit conſulere, & prouidere, pietate ei admodum grata, quæ in te enitet egregia, ad ſummum Pontificatus gradum, vt mundus ſapientia tua regatur, & gubernetur, te uirum optimum elegit. Quamobrem omnes maximo exultantes gaudio, & letitia, longiſsimam tibi uitam expetunt. Proinde ſi eruditiſsimi Viri ſemper à numine aliquo rerũ ſuarum initia fecerunt. Eò iuſtius equidem hac oratione mea, principio Almæ Vrbis Gimnaſij ad omnium bonarum artium, tuamq́; laudem, & gloriam habita, ad tuum fauorem decurro: Teq́; certiſsima ſalus urbis inuoco. Cuius prouidentia uirtutes benigniſsimè fouentur, Vitiaq́; ſeueriſsimè vindicantur. Vt mihi qui tibi optimo Principi hanc dicare orationem ſum auſus faueas, adiutorq́; ſis. Sub cuius Clypeo tutior ſit à me in lucem edita. Itaq́; cum exiſtimarim, ad te, pro tuis maximis clariſsimiſq́; virtutibus, ſummaq́; erga omnes ſapientiæ amatores, benignitate, bonitateq́; tua confugiendum, ſuppliciterque tuum numen poſcendum. Hanc in tuæ Santitatis nomine apparere uolui. Accepi igitur maxime Pontifex Carraffę Familiæ ſplendor, hanc meam (qualiſcunq́; ipſa ſit) paruam lucubrationem: Quam ſi tibi non prorſus diſplicere cognouero: Alia poſt hac parabo, Vt magis, atque magis ſis memor mei; Meq́; pietate tua(cùm offeretur opportunitas)adiuuare non graueris. Vt ætas mea iam ingraueſcens in benificio, & gratia conquieſcat tua. Vale, Diuq́; feliciter uiue. Romę No. Nouemb. 2555.

VIN. TERMINII FIR. ORATIO, INITIO STVDII ALMAE VRBIS in AEde Diui Euſtachii habita.

VIDEO omnium veſtrum ora, atq; oculos in me eſſe conuerſos: Romanæ Academiæ ſapientiſſimæ Rector, Almæ Vrbis ampliſsimi Conſules, Voſq; præcellentiſſimi Doctores, & Auditores clariſsimi facere non poſſum, quin maximo timore afficiar, totoq; corpore, ac mente vacillem. Quum in tanto doctiſſimorum virorum conſpectu mihi hodie de ſcientiarum amplitudine, & dignitate orationis habendæ, prouincia data ſit. Quoniam in hunc honeſtiſſimum locum, niſi viri ſingulari ingenio, omni doctrina, & virtute, dicendiq; copia ornatiſsimi conſueuere aſcendere. Quæ quidem cum à me longè abſint, vereor ipſe tenuis homo, minimè adeò doctus, & eruditus minimeq; ad dicendum adeò accomodatus, Quo pacto vobis poſſem planè ſatisfacere. Sed niſi Paulo Draconi viro Ampliſſimo, Rectori admodum venerando, vtriuſque iuris eruditiſſimo, & ſummo patrono meo: à quo honeſtè diſcentire non poßem, mihi optemperandum fuiſſet: Libentiſſimè equidem hoc dicendi onus cuilibet alteri detuliſſem; Cùm grauiſſima auctoritate, indicioque veſtro, Tum rerum, de quibus ſum verba facturus, magnitudine, ac varietate perterritus. Verùm manſuetudine, humanitateque veſtra adductus, eaq; ipſa confiſus, in hunc altiorem aſcendere locum non dubitaui. Quia veſtrum aliquem, certò ſcio, ſi in aliquo deeſſem, meam non iniuſtam accepturum excuſationem. Inter mortales tam ſapiens adeſt ferè nemo, quin per errorem aliquando labatur. Quiſque enim accutius, atque acrius vitia indicente, quàm recta videt. Si id igitur mihi contigerit, vt optimi, & fauere, & clementer ignoſcere velitis.

Hunc diem, diuo Lucæ dicatum, ſingulis annis nos piè, ſancteq; veneramur, & colimus, & meritò, ac iure, quum huius ſanctiſſimi Lucæ nomen, & lux, & reſurrectio interpretetur. Nam Diuus Lucas ſicut tenebris in lucem veræ legis non euocauit, eiuſq; ſcriptis & monumentis noſtram fidem illuminauit, ac illuſtrauit: Ita & nobis ipſe, cuius diem feſtum ſolenniter celebramus, in litteris maximam lucem affert, mentemq; noſtram,

quà ſapimus, quà prouidemus, quà tamen omnia agimus, ad virtutem, & gloriam comparandam maximè illuminat. Quippe enim omnes bonæ artes atq; ſcientiæ hodie reſurgunt, & priſtinis muneribus renouantur. De his hactenus: complectar equidem quod propoſui breui, & dilucidè. Primum de ſapientiæ præſtantia, Deinde de omnis doctrinæ vtilitate breuiſſimè dicam. Nam ſapientia, quæ omnia ſtudiorum genera nomine uno complexa eſt, rerum omnium tum diuinarum, tum humanarum, cunctis in ea verſantibus, magnam dare cognitionem ſolet. Quam, qui adepti ſunt, ſoli certæ rationis ſunt participes: certoq; hominis nomine ſunt digni: Soliq; pecudibus, cæteriſq; beſtijs pronis, & ventri obedientibus antecedunt. Hinc ad eos laus, honor, dignitas, confluere ſolet: Nihil à Deo Opt. Max. vberius, nihil florentius, nihil præſtantius, nihilque optabilius ſapientia hominum generi dari potuit. In qua excellere pulchrum putamus: omnes enim ducimur atque trahimur ad eius cognitionis cupiditatem. Et hoc vno cum ſit nobis quiddam cum Deo commune à beſtijs plurimum differamus, quod habeamus rationem menti à natura datam. Proinde mihi rectius eſſe videatur ſapientia, quàm diuitijs honorem, & gloriam acquirere. Nã diuitiarũ gloria fluxa, & fragilis eſt, ſapientia verò clara, æternaque habetur. Itaque cùm eſſet ipſa ſapientia (vt Orator ait) Mater omnium bonarum artium plures tribus partubus filias genuit; Primo partu Grammaticam, Rhetoricam, & Dialecticam, quibus officium rerum qualitatem conſiderandi tribuit: Secundo Arithmeticam, Geometriam, Muſicam, & Aſtrologiam, quibus rerum quantitatem inquirendi; Tertio aliorum digniſſimo, Naturalem ſcientiam cum Medicina ſimul, Moralem, & Diuinam, quæ græco nomine philoſophiæ dicuntur, quibus res ſummas munus ſcrutandi præbuit.

Cic. de Leg. l. 1.

Nunc ſequar ſingularum vtilitatem ordinis noſtri conſeruandi gratia. Et à Grammatica primùm veluti omnium bonarum artium principe initiũ noſtrum faciemus. Hanc (Ariſtoteles ait) ſcientiam eſſe rectè ſcribendi, & intelligendi, quod profertur; Quæ ſententijs congruentem, & uerbis diſcrepantem orationẽ explicat. Cuius profeſſio fructum, & utilitatẽ affert ita maximam, vt ipſa ſola det lucem, & aditum ad omnem literarum ſcientiam, apertiſſimum. Quo ſi nos careremus, perinde ac cœci per omnes ſciẽtias aberramus. Et nullam vnquam cognitionem rerum, aut ocultarum, aut admirabiliũ ad bene, beateq; viuendum neceſſariam haberemus. Cicero vir ille ſapientiſſimus, & eloquentiſſimus hanc nunquàm eſt aſpernatus: Nam Antonij Gniphonis ſcolam poſt forenſes cauſas audiendi animo

6. top.

ſemper

ſemper frequentabat. Hæc igitur diligenter colenda,amplectendaq; eſt mi nimeq; aſpernanda. Quia in Grammatica eſt verborum interpretatio, Pronunciandi quidam ſonus, Poetarum pertractatio, Hiſtoriarum cognitio. Ideo hæc omnibus ſtudio literarum verſari optantibus per quàm neceſſaria mihi eſſe videtur. Sine qua nec bene latinè loqui,nec rectè ſcribere nec quicquàm optimè intelligere poſſemus. Cic. de or. 1.

Huic proxima acceddit Rhetorica illa artificioſa eloquentia ornate dicendi: Quæ verborum elegantiam, & ornatum, ſententiarumq; grauitatem edocet. Hæc viam laudis, & vituperationis monſtrat: Hæc ſuaſionis, & diſſuaſionis præcepta tradit. Hæc accuſationis, & petitionis in controuerſijs defenſionem habet. Hæc nobis orationem, inueniendi, diſponendi, eloquendiq; dat viam apertam, & directam. Hæc deniq; eſt illa quæ eloquentiæ ſtudium nuncupatur. Itaque nihil eſt ipſa eloquentia laudabilius, nihil præſtantius, ſi modò cum ſapientia, animique moderatione ſit coniuncta. Nemo eſt, qui neſciat, principio genus humanum in montibus, & ſilvis diſſipatum prudentium conſilijs compulſum, & deſertorum oratione mitigatum ſe oppidis, & mœnibus ſepiſſe. Qualis, & quanta ſit Rhetorica optimis quiſque conſiderare poteſt. Sine cuius notitia omnis oratio cuiuſque rei vel conſcribendæ, vel dicendæ inculta, incompta, & cõfuſa eſſe videretur.

Ad hanc elegantiam verborum adiungit illa uirtus diſputatrix Dialectica ars veri, falſiq; conoſcendi accommodata. Hæc ad diſputandum, probandum, refellendum, & confutandum plurimùm valet: Et iter aperit ad omnem philoſophiam expeditiſſimum. Zeno ſtoicorum princeps Dialecticam pugno, Rhetoricam verò palmæ ſimilem dicebat; Quòd latius loquerentur Rhetores, Dialectici verò compreſſius.

Deinceps de eis ſecundi partus, quæ nomine vno Mathematica nominantur, dicendum videtur, Primo de Arithmetica, & Geometria, quæ inter ſe ſunt longè coniunctiſſimæ, aperiemus. Nam Arithmetica eſt ſciẽtia de numerorum rationibus tractans: Quam primus omnium Pithagoras ille ſapientiſſimus è Samo philoſophus in artem, diſciplinamq; redegit. Geometria uerò eſt quæ terræ menſuram lineamentorum, forme interuallorum, magnitudinum inquirit. Quæ & ſi per ſe ſunt præclariſſimæ, omnibus adeò neceſſariæ. Tamen citra harum cognitionem nihil aut vendere, aut emere, aut diuidere, aut deniq; percipere valeremus: neque cœleſtes circulos metiri, neq: terræ ambitum conſiderare.

Nunc ad Muſicam, & Aſtrologiam tranſeamus: Muſica autem eſt quæ

modum canendi demonſtrat. Hæc fuit apud veteres ſemper in maximo honore habita, ocium conterendi, animumq; recreandi gratia; Neq; enim cõuiua, neque ludos ſine tibiarum cantu fieri conſueuiße; rem profectò diuinam ad animi auriumq; delectationem mirificè accommodatam. In qua Amphion, & Orpheus plurimum valuerunt; quorum vnus lyra canendo ſaxa mouebat; Alter ad ſe feras, & ſyluas alliciebat, atque trahebat Aſtrologia verò aſtrorum ſcientia eſt, cœleſtes magnitudines inquirens. Et(ſi credendum eſt) vt prædici poſſit, quid cuiq; euenturum, & quo quiſq; fato natus ſit, demonſtrans. Cuius nõnulli profeſſores eò progrediuntur, vt futura prædicere audeant, Quod nos Chriſtiani vaniſimum eſſe putamus. Iam nunc, vt inſtituimus proficiſci ordine, ad reliquas tertij partus ſcientias pergamus; quas nomine vno Philoſophia conplectitur, à ſapientiæ amore nomen habens. Nam naturalis ſcientia eſt conſideratio, contemplatioq́, nature rerum. corporum, quæ generatur, & corrumpuntur, rationem ſcrutans, latenteſq́; cauſas meditans. Hanc igitur is qui eſt adeptus omnium rerum diuinarum atq; humanarum naturam, cauſaſq́; noſcit; Et omnem benè viuendi rationem tenet, ac perſequitur.

Hinc ad ſaluberrimam medicinæ ſcientiam tranſeamus; Quæ mortalibus quanti æſtimanda ſit, luce clarius eſt. Nullum extat morborum genus cui non ſint à medicis remedia ſaluberrima inuenta. Natura homines produxit imbecilles, productos deniq; Medici omni ſua arte, cura, opera, diligentia tuentur, ac defendunt; Deus nobis vitam dedit; quam noſtra prauitate ſæpe breuiorem reddimus. Medici verò tanquam Dij eam conſeruant, ac longius producunt.

Quid dicã de Morali Iuris ſcientia, & gloria, Quæ boni, & æqui notitiam habet, honeſteq́; viuere, alterum non offendere; & cuiq; ius ſuum imperat tribuere. Hæc humani generis ſocietatem, & gubernationem conſtituit. Hæc hominum mores confirmat vrbes, reſpublicas, regnaq́ue regit, & gubernat. Hæc recta imperat, prohibetq́ue contraria, Bonis dat præmia, Malis verò inſtituit pœnas. Soli qui iuris ſcientiam ſunt adepti, tamquàm Dij quidàm maleficia, & peccata puniendi poteſtatem habent; Hominum commodis, & vtilitati conſulunt, Vitam deniq; ad certam rationis normam dirigunt. Eſt ſine dubio domus iuriſconſultorum totius oraculum ciuitatis. Qui ſunt & Philoſophi, & Sacerdotes, & Pontifices appellati, Diuinarum atque humanarum rerum interpretes; In terris apud homines vim, atque numen Deorum tenentes.

Reliquum eſt, vt in præſentia de Diuina dicamus; Quæ græcè Theologia

gia appellatur Diuinarum rerum ſapientia; Quæ Deorum maieſtatem, ſacraq; myſteria aperit. Quis eſt tam efferatus? qui cùm ſuſpexerit cœlum non contemplatur cœleſtia? Quorum, affectoris Dei cognitionem habere non aueat? ac eum piè colere, eum amare, eum denique orare, pureq; uenerari? Quia commoda, quibus vtimur lucem, qua fruimur: ſpiritum, quem ducimus, Dei conceſſu, atque munere nobis dari, & impartiri videmus. Hæc igitur omnibus Chriſto fidelibus colenda, plurimiq́ue facienda eſt. Sine cuius cognitione omnia ea, quæ ad noſtram religionem ſpectant, penitus uidemur ignorare.

De his non plura dicam; Vidiſtis, & ſenſiſtis, quantam illis vtilitatem, & gloriam, omne ſuum ſtudium in doctrina, & ſapientia collocantibus literæ afferre poſſunt. Quocirca vt imperatores cùm inſtructa acie quam paratiſſimos milites ad prœliandum videant; eos tamen cohortari ſolent; Ita quoque mihi ſtudioſi iuuenes; ad literas ardentes; & erectos videnti, ad earum laudem; & gloriam vos primum adhortandi eſtis. Proinde ad honorem, & gloriam Dei immortalis tanti operis, & numeris effectoris, cuius omnia ſunt plena, vobis hanc parate ſapientiam, & complectimini quæſo: Et ſi dulcis eſt gloria, Virtutem conſequimini, Nam vita noſtra breuis eſt; curſus vero gloriæ ſempiternus, Si nobis vita eripitur; nō tamen immortalis gloria adimi poteſt. Poſtea verò, quam hoc die omnes ſcientiæ reſurgunt: Vos item reſurgite, pergite atque in ſtudium, in quo eſtis; tota mente incumbite. Iam ſatis temporis ocio datum eſt. Non enim ad ludum, & iocum à natura geniti ſumus, ſed ad quædam ſtudia maiora, & grauiora, quibus ſumme laudes comparantur; In his igitur elaborandum eſt. Rogatus Demoſthenes oratoriam vim quemadmodum acquiſiuiſſet. Riſit, quia plus olei (ait) quàm vini conſumpſi. Itaque id ipſum quæſo & vos efficite ſi ad quid veniſtis memores eſtis. Nam ſi indocti, imperitique domum veſtram reuertimini; omnibus ludibrio, deſpectuiq́ue vos futuros intelligatis. Sin autē docti, & eruditi euaſeritis; ad vos laus, honor & dignitas cum diuitiarum magnitudine confluet: Præſertim ſi omnem in Deo Opt. Max. prorſus ſpem veſtram collocatis, à quo bona cuncta proficiſcuntur. A Deo enim patefacta eſt in homine ſapientia; Vt in eo ſpem omnem ponat, eumque cognoſcat, laudet, & colat fruſtra aliter laboraretur. Quicquid enim facimus venit ex alto. Si id feceritis apud homines vobis, & honori, bonæq́ue exiſtimationi, & amicis vtilitati, reipublicæ emolumento ſemper eritis.

Hinc deinde ad vos excellentiſſimi Doctores, me conuerto. Quum nos

natura

natura impellamur; vt quàm plurimis prodeſſe velimus, Imprimiſq; docendo, rationibusq; prudentiæ tradendis. Ad quod, & uos mihi adhortandi eſtis: ut hilari vultu, & conſtanter perſeueritis omnes uobis operam dantes, diligenter, fideliterq; docere. Quia non ſolum ad diſcendum propenſi ſumus, uerũ etiã ad docendũ preſertim quũ hoc tempore PAVLO IIII. PONTIFICE MAX. *ſumma religione, diuina mente, & conſilio, omne doctrina, & virtute, ſingularique ſapientia prædito; hoc Almæ Vrbis Gymnaſium floreat; & ſit indies eius beneficio magis, atque magis augendum, & amplificandum. Cuius Prouidentia Virtutes, benigniſſimè ſouentur, & uitia ſeueriſſimè uindicantur.* CAROLVM *enim Carrafam Cardinalem ampliſſimum ſui fratris filium Romani gymnaſij propugnatorem, & defenſorem,* ET PAVLVM *Draconem Rectorem ſolertiſſimum ad hoc regendum, & conſeruandum ille prudentiſſime conſtituit. Pontificis Maximi liberalitas, Caroli Cardinalis Ampliſſimi egregia virtus. Rectoris probitas, & in rebus agendis ſolertia, debent vos ad bonas artes excolendas, & tradendas, omnemque laborem forti animo perferendum etiam atq; etiam inflammare Sperandum eſt enim omnia ex animi ſententia ſucceſſura.*

Cic. 2. de Fin

VIN. TERMINII FIRMANI DE ROMANORVM MAGISTRATVVM ANTIquis Nominibus, ac de ijs, quibus noſtro vtimur tempore.

REx Romulus omnium primus à regẽdo dictus, Vrbis Romæ Imperijq́; Romani Conditor, generatus Martis ſatis, Rheæq́; Siluiæ Numitoris filiæ conceptu, Is legem tulit, vt nemo regnum iuſtitueret, niſi auctor fieret Deus, Ipſeq́; per auſpicia confirmari voluit. Romulus quoq; Quirinus dictus græcè (Kiranos) Rex dicitur uel quod Haſta vtebatur, quæ curis Sabinorum lingua appellatur. Is autem vt maior Regiæ maieſtati honor haberetur, purpurea vſus eſt veſte, hoc eſt, Trabea: Duodecimq́; legit lictores faſces ante Regem ferentes, totidemq́; ſecures, quæ ſigna puniendi erant, Diuiſitq́; populum Rom. in tres partes, quas tribus appellauit, & in ſingularum tribuum Duces Tribunos nominauit,

Tribunus plebis, a pud Romanos plebis defenſor & cuſtos erat; & conſulibus opponebatur, ne iniuria, & vis aliqua in plebẽ inferretur, vt maior in urbe eſſet libertas. Romæ Vulgò, il Caporione. Firmi il Confaloniero.

Tribunus Celerum Regi proximus erat, vel centurijs, vel equitibus ad Regis continuam cuſtodiam præerat, à Celeritate dictus.

Tribunus Militum uerò fiebat in Caſtris, Imperatoriq́; pro militibus opponebatur. Vulgo Mareſcalco, Maſtro di campo.

Senatores à Romulo electi centum, aut à Senectute, aut à ſapientia, & Nobilitate generis appellati. Iidem ob honores Patres, & eorum Familia Patricia: Quorum conſilio reſpublica adminiſtrabatur. Noſtro tempore dici poßunt Cardinales, & eorum collegium. Vnde Senatus, id eſt Cic. ad
ſummum conſilium. Il Conſiſtorio. vt Hodie Senatus habetur. Hoggi ſi Lent.
fa Conſiſtorio. Si fa il conſeglio.

Præfectus Vrbis, à Romulo electus Vrbis cuſtodiæ, & negotijs, rebuſque ep.4.
omnibus præpoſitus erat, ad Vrbem pertinentibus. Hodie Vrbis Gubernator, ſiue Conſeruatores, dici poſſunt.

Quæſtores binos creauit Romulus, qui Aerario, & publicæ pecuniæ ſumptibus publicis præfecti erant. (vt ait Varro) à quærendo dicti qui conquirunt publicas pecunias, & malefica: Interdum enim capitalibus re

bus

rebus præerant. Ipſiq; ſortiebantur prouincias. Vulgò li Theſorie-ri, ouer Chierichi di Camera.

Interrex, is erat, quidem de mortui Regis locum tenebat, donec alter crearetur, vulgò il vice Re.

Aediles Curules erant Curatores, Vrbis. Aedium ſacrarum, & priuatarũ, Ludorum ſolennium, & interdum Annonæ: Aediles ab ædibus, Curules verò à Sella eburnea curuli dicti, qua vehebantur ornati purpura, regijsq; vtebantur inſignibus. Noſtro tempore Magiſtri viarum.

Conſules (expulſis Regibus) Duo creati ſunt, à conſulendo dicti, quòd Senatus conſulerent, Annum Imperium, & magiſtratum habebant, alternisq; diebus imperabant. Ipſiq; Trabea, cæteraq; Regum inſignia tenebant, & lictores Duodecim cũ faſcibus, & ſecuribus & non Duo lenos. Nunc Vrbis conſeruatores dici poſſunt. Anconæ Antiani. Firmi, Aeſij, & cuiuſlibet ciuitatis, conſules Latinè dicuntur, & non Domini vt aiunt.

Proconſules, qui ad prouinciam gubernandam cùm poteſtate conſulari extraordinaria loco conſulum mittebantur: Lictoresq; ſex, & cætera omnia vti conſules habebant.

Dictator, Romæ is erat, cui extraordinarium Dictaturæ Imperium dabatur, dictus, quòd ab alijs omnibus poſit dictare, ideſt Imperare, ac Præcipere. Vel quòd à Conſule noctis ſilentio dictabatur, ſummo enim periculo vltimum habebatur remedium, Sex tantùm menſes magiſtratum gerebat, & omnibus magiſtratibus præeat: Ab eoq; nemo populum appellare poterat: Penes quem quoq; rerum capitalium erat animaduerſio. Lictores, & Trabeam, cæteraq; Regum inſignia habebat. Hodie dici poſſet Venetiarum Dux.

Magiſter equitum Dictatori proximus erat, equitibusq; regendis præerat ad continuam Dictatoris cuſtodiam, vt apud Reges Tribunus celerum.

Cenſores bini tantùm erant, & Magiſtratum quinquennium gerebant, dicti à Cenſeo, quod eſt conſtituere, & præcipere (ait Modeſtinus) Mores enim ciuitatis, & Negocia omnia conſtituebant: Quorum Magiſtratui Scribarum, cuſtodiæq; miniſterium, decorisq; delectu, & diſcrimen ſubijciebatur. Ipſi quos putaſſent parum dignos officio, amouere ſolebant, & luſtrum condere. Hoc tempore Cameræ Clerici appellari.

De verbo, & verũ ſignifi. l. Cẽſere.

Prætor Vrbanus inter Romanos ius dicebat, dictus quòd populo præiret, penes quem publici, priuatiq; iuris poteſtas erat, nouiq; iuris condendi & veteris abrogandi. Quod Prætor dixiſſet, ob eius honorem, ius honorarium vocaretur. Prætori Trabea candida, ſella curulis, lictores non amplius.

plius ſex, cæteraq; Regum inſignia tradebantur, & equis quoq; vtebatur albis. Hodie dici poteſt Vrbis Senator, qui Romanis ius dicit.

Prætor Peregrinus, quũ vnus Prætor cauſarũ turbæ ſufficere nõ poſſet, is alter creat⁹ fuit ut peregrinis ius diceret. Noſtro tẽpore Gubernator Vrbis

Prætor prouincialis capta deinde à Romanis Sardinia, alijsq; prouincijs is poſtremò creatus eſt, qui cum imperio in prouincias regendas, adminiſtrandasq; mitteretur: & quot prouinciæ, totidem prætores, ut ibi ius dicerent, conſtituebantur. Hoc tempore dici poſſunt Legati.

Præfectus Prætorio erat, vt Tribunus celerum apud Reges Magiſter equitum apud Dictatores. Sic ipſe apud Cæſares. Nec nõ vt Decemuiri, legum condendarum, dummodo generalibus legibus non contrariæ eſſent, poteſtatem habebat ab eoq; prouocatio non erat.

Triumuiri rebus capitalibus, & carceribus, præerant: Triumuiriq; capitales appellat: Item excubijs, nocturniſq; incendijs.

Decemuiri inſtar Regum pro Conſulibus creati fuere, & omnibus Vrbis Magiſtratibus per annum ſublatis & legum condendarum interpretandarumq; cauſa conſtituti Senatus conſulto, populiq; Ro. conſenſu fuerunt. Pro cæteris magiſtratibus officia, & munera exequebatur. Hi ex Athenis leges in decem tabulis tulerunt, duaſq; eis addiderunt: Inde appellatæ leges. 12. tabularum, eis ius ſummum datum erat, Domi contrahebant, in foro pronunciabant, à quibus prouocatio non erat. His diebus dici poſſunt Auditores Rotæ.

Imperatores erant adminiſtratores belli gerendi .i. Ductores exercituum, quibus ipſi præponebantur; Senatus, & Populi Ro. iuſſu, vel ductabãt exercitus, vel prouincias adminiſtrabãt, ſinguli Duos legatos habebant, qui legati, non domini, Sed curatores, miniſtriq; erant. Hi Imperatores. Duces generales Caſtrorum & exercituum noſtro tempore dici poſſunt. Ci. pro Põpeio

In ſummo Imperatore quatuor has res ineſſe oportet, Scientiam rei militaris Virtutem, Auctoritatem & Felicitatem.

Legati erãt, qui ex Senatus auctoritate legebãtur, ducibusq; exercitus dabãtur, nõ ſolũ interpretes bellici conſilij; ſed curatores, & animauerſores rerũ gerendarũ, ita ut nihil ipſis ignaris à Duce gererentur. Erãt, vt Auditores, ſiue Iudices Ducis, Imperatoriſue; qui, & præfecti militiæ dicũtur.

Legati quoq; ſunt Miniſtri muneris prouincialis, Nuncij, Oratores, & qui mandata alterius deferunt.

Præfectus legionis abſentis legati; locum tenebat, eiq; parebant Tribuni Centuriones, & deniq; totius exercitus. eligebantur iuſtus & diligens: puniebat & ſoluebat.

Legio

Legio erat acies exercitus conſtans ex decem cohortibus: dicitur à legendo .i. eligendo, quid in delectu milites leguntur. Habet pedites 2515. equites: 906. vel (ut ait Vegetius de Ar.mil.) pedites habet 6100. & equites 726.

Cohors, erat militũ manus, multiplex variaq; prima habebat pedites 1105. equites 132. Secunda pedites. 160. equites. 66: Tertia itidem. Quarta pedit. 155. eq. 66. Quinta, & Sexta totidem Septima ped. 155. eq. 156. Octaua ped. 160. eq. 156, Nona ped. 155. eq. 66. Decima itidem. Ea ex 30: manipulis conſtat, vel (vt alijs placet) ex 50. Vulgò compagnia de ſoldati. Manipulus verò pars centuriæ quæ ex 25. militibus pro vna quaque conſtat.

Cic. de re militari.

Augures tres à tribus tribubus à Romulo conſtituti fuere, dicti ab auium garrulitate, gerẽdoq; quia per eos auium geſtus edicitur, Numerus deinde auctus, ſex additi, nomen fuere augures, quinq; plebei, quatuor Patricij, qui auſpicijs, prodigijs publicis præerant, Collegiumq; augurum appellabatur.

Flamines Sacerdotes à floſculo lanæ dicti, quem religionis, reuerentiæque cauſa ſuper apicem capitis ferebant.

Salij Sacerdotes à ſaltãdo dicti, à Numa Põpilio conſtituti, duodecim numero fuerũt, Ancilia gerẽtes ac per urbẽ canentes carmina cum tripudijs.

Pontifices maximi, à poſſe, & facere dicti (ait Scæuola) vel à Põte, quia Sublicius pons à Pontificibus factus eſt primũ, & deinde reſtitutus: præerat tãtũ ſacris, & religioni. Eoſq; à Patribus legit Numa, qui eorũ ſcitis omnia publica, priuataq; ſacra ſubiecit, Põtificũq; collegiũ dicebatur, cuius Vnus erat Põtifex maximus, ab alijs Põtificibus electus, ut noſtris tẽporibus Summus Põtifex à Cardinalibus, qui dicitur Papa S. R. E. Nunc P**AVLVS IIII.** *Illuſtris Carraffæ Familiæ Neapolitanus, diuina pronidentia in comitijs ad ampliſſimũ ſacerdotium Pontifex Max. eſt electus, Homo quidem integer, ſapiens, & religioſus. Hodie autem,* PIVS V. *ſummus Pontifex Iſileriæ gentis Alexandrinus, Vir natura ſanctus & religioſus, Quo nõ eſt alter iuſtitia, ac pietate maior: Finis.*

ROMAE. Antonij Bladi literarum notis M. D. LV.

Nuper PERVSIAE.

P. Iacobi Petrutij, & Michaelis Portus.

M. D. LXXV.